

Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce.

*Tum Sacerdos, dans infirmo Eucharistiam, dicat: Accipe, * frater (vel soror), Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur in vitam æternam. Amen:*

Si vero communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

Amen.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto Misereatur, etc., prædictis precibus omnibus vel ex parte, omissis, ei statim Viaticum præbeatur.

Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, et infirmo detur ablutio. Deinde dicat:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOMINE Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipientibus * fratri nostro [vel sorori] nostræ] Sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori quam animæ prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.